

diffluitque inanis, atque interdum damnosi fecunda exempli. non sine religionis defecore et offensione bonorum. Nec dissimiliter fit in ceteris partibus actuosæ vitæ: quippe vel nullus inde solidæ utilitatis proventus, vel brevis horæ, consequitur, imbre deficiente cælesti quem sane devocat uberrimum *oratio humilantis-se* (1). — Quo loco facere quidem non possumus quin eos vehementer doleamus, qui pestiferis novitatibus abrepti, contra hæc sentire non vereantur, impensamque meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur. Proh funesta cæcitas! Utinam secum ipsi probe considerantes aliquando cognoscerent quorsum evadat neglectus iste contemptusque orandi. Ex eo nimirum germinavit superbia et contumacia; unde nimis amari excrevere fructus, quos paternus animas et commemorare refugit et omnino resecare exoptat. Optatis annuat Deus; qui benigne devios respiciens, tanta in eos copia *spiritum gratiæ et precum* effundat, ut errorem deflentes suum, male desertas vias communi cum gaudio volentes repetant, cautiore persequantur. Item ut olim Apostolo (2), ipse Deus sit Nobis testis, quo modo eos omnes cupiamus in visceribus Jesu Christi!

Illis igitur vobisque omnibus, dilecti filii, alte insideat hortatio Nostra, quæ Christi Domini est: *Videte, vigilate et orate* (3). Præcipue in pie meditandi studio uniuscujusque elaboret industria; elaboret simul animi fiducia, identidem rogantis: *Domine, doce nos orare* (4). Nec parvi quidem momenti esse nobis ad meditandum debet peculiaris quædam causa; scilicet quam magna vis consilii virtutisque inde profluat, bene utilis ad rectam animarum curam, opus omnium perdifficile. — Cum re cohæret, et est memoratu dignum, sancti Caroli pastorale alloquium: "Intelligite, fratres, nil æque ecclesiasticis omnibus viris esse necessarium ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes præcedens, concomitans et subsequens: *Psallam*, inquit propheta, *et intelligam* (5). Si sacramenta ministras, o frater, meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quonam sanguine sint lavatæ" (6). Quapropter recte ac jure Ecclesia nos ea davidica senza iterare frequentes jubet: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas ejus permanet die ac nocte; omnia quæcumque faciet semper prosperabuntur*. — Ad hæc, unum denique instar omnium sit nobile incitamentum. Sacerdos enim si *alter Christus* vocatur et est communicatione potestatis,

(1) Eccl. XXXV, 21.

(2) Philipp. I, 8.

(3) Marc. XIII, 33.

(4) Luc. XI, 1.

(5) Ps. c. 2.

(6) Ex. orationibus, ad clerum.